ARQUIVO DA UNIVERSIDADE

COLÉGIO DA COMPANHIA DE JESUS
E
UNIVERSIDADE DE ÉVORA

1567

União dos dizimos e outros direitos das propriedades já unidas.

Gav. 5-B - Maço 1 - N.º 25

Pius Episcopus Servus Servorum Dei Ad Perpetuam Rei Memoriam

Iniuncte nobis desuper servitutis exposcit ut ad ea libenter intendamus per que Collegiorum indemnitatibus obviantes gratiarum illis per predecessores nostros factarum validitati consulamus Dudum siquidem postquam dilectus
filius noster Henricus tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbiter Cardinalis Infans Portugallie nuncupatus felicis recordationis Pio pape iiij predecessori nostro exposuerat Quod licet alias ipse qui etiam tunc Archiepiscopus seu perpetuus Admini-
strator ecclesie Elboren existebat Collegium Spiritus sancti in Civitate Elboren dudum per eum constructum et deinde in universitatem studii generalis apostolica auctoritate erectum et institutum nonnullis redditibus annuis pro magistrorum
Legentium lectorum et scholarium inibi pro tempore studentium sustentatione dotasset nihilominus ipse qui regimen et administrationem Collegii et universitatis huiusmodi dilectis filiis presbiteris Societatis Jesu concesserat maximum fructum ex illorum eruditione
doctrina moribus et exemplari vita aliisque virtutibus in dies provenientem considerans unde facile sperabatur doctos et eruditos homines eiusdem universitatis alumnos non solum ex regno Portugallie sed etiam Africam et orientalibusque provinciis
carissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugallie et Algarbiorum regi illustri subiectis que viris doctis apprime indigebant suffecturos fore ac proinde attendens prefatos et alios si qui essent eiusdem universitatis redditus pro
ipsis quorum viginti lectores Triginta scholares et alii viginti partim predicatores et confessores partim ad alia exercitia spiritualia deputati in eadem universitate assidue residebant ad tot talium onerum supportationem minime sufficere nonnullasque
proprietates ad mensam Archiepiscopalem Elboren pertinentes a pluribus annis per eius predecessores Archiepiscopos Elboren alienatas et in laicorum nobilium manibus ex quibus nonnisi cum maxima difficultate recuperari poterant existere spectantes idem Henricus
Cardinalis easdem proprietates unam videlicet Concelho de Montemor o Velho Ulixbonen et aliam da Moreira de Montemaiori novo ac aliam etiam da Moreira nuncupatam Montismaioris necnon aliam de Goo que est in Coruche cum certis partibus do Lombo
de Goo nuncupatis et aliam dos Monteselaros Elboren ac reliquas proprietates seu possessiones huiusmodi Civitatis de Elbas Territoriorum respective quas dilectus filius Alvarus Prestado illarum Conductor in ultima eius generatione obtinet ita ut
illa finita universitati predicte cederet sic ut premittitur alienatas et ex quibus minima utilitas dicte mense eatenus provenerat de tunc existentium Capituli dicte ecclesie consensu ab ipsa mensa perpetuo dismembraverat illasque universitati predicte pro
lectorum scholarium predictorum et confessorum predictorum aliorumque officialium in universitate predicta pro tempore existentium sustentatione et reliquorum onerum dicte universitati incumbentium supportatione Ita tamen quod si aliquo tempore dicta univer-
sitas supprimeretur vel illa aut eius bona ad aliam prelaturam transferrentur redditus huiusmodi ad mensam ipsam eo ipso redirent et reverterentur ipsaque universitas quamdiu illos perciperet censum annuum mille regalium pro qualibet proprie-
tate huiusmodi mense predicte persolveret sub ipsius predecessoris et apostolice sedis beneplacito et non alias etiam perpetuo applicaverat et appropriaverat prefatus predecessor ipsius Henrici Cardinalis tunc supplicationibus inclinatus Omnes et singulas proprie-
tates et possessiones predictas quarum insimul et ad illas pertinentium fructus redditus et proventus Duorum millium ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum ut idem Henricus Cardinalis asserebat non excedebant cum iuribus et
pertinentiis suis universis ab eadem mensa dismembravit et separavit illasque universitati predicte cum onere et conditione premissis perpetuo applicavit et appropriavit ac illas dismembratas applicatas et appropriatas esse decrevit prout in singulis
predecessoris continetur et Henrici Cardinalis huiusmodi litteris desuper confectis plenius dicitur contineri Cum autem sicut idem Henricus Cardinalis tam suo quam dilectorum filiorum Rectoris et Collegialium universitatis huiusmodi nominibus nobis nuper exposuit
licet in dubium revocari non debuisset nec deberet quin proprietates supradicte ita ab ecclesia Elboren per eundem predecessorem dismembrate et separate et eidem Collegio applicate et appropriate fuerint ut omnia et singula fructus redditus proventus
emolumenta necnon decime primitie omniaque et singula alia iura ex illis provenientia et ecclesie Elboren ante dismembrationem et applicationem predictas debita et ex illis solvi solita ipsi universitati litterarum earundem vigore deberentur et integre
persolvi deberent eo maxime quia sub annuo valore in dictis litteris expresso decimarum et primitiarum earundem valor comprehenditur nihilominus ab aliquibus dubitatur et forsan asseritur decimas et primitias prefatas sub verbis in dictis litteris
contentis specialiter non expressas non comprehendi illasque prefate ecclesie Elboren seu illius Presuli ex dictis proprietatibus et quibusdam aliis Terris eis coniunctis adhuc non autem universitati prefate solvi debere Quare prefatus
Henricus Cardinalis asserens illius semper intentionis fuisse et esse quod proprietates prefate illarumque fructus redditus proventus obventiones emolumenta necnon decime primitie aliaque omnia et singula iura ex illis et terris coniunctis
prefatis provenientia et ecclesie Elboren olim debita et solvi solita ab ipsa mensa dismembrarentur et universitati predicte applicarentur eisdem nominibus nobis humiliter supplicari fecit ut in premissis opportune providere
de benignitate apostolica dignaremur Nos igitur ad tollendam omnem dubitationis materiam ne tam ille quam rector et Collegiales prefati dictarum litterarum sustentur effectu providere volentes ipsosque Rectorem et Collegiales
ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium dumtaxat conse-
quendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes necnon singularum litterarum predictarum tenores presentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati moderni Elboren Archiepiscopi ad hoc expresso consensu
accedente Volumus et apostolica auctoritate eisdem Henrico Cardinali ac moderno rectori et Collegialibus concedimus quod littere predicte et per illas facte dismembratio separatio applicatio et appropriatio ac alia in eisdem litteris contenta
et inde secuta quecunque a data presentium valeant plenamque roboris firmitatem obtineant et eisdem Collegio rectori et Collegialibus ac aliis in litteris predictis contentis suffragentur suosque plenarios effectus sortiantur etiam in omnibus et per omnia
perinde ac si in illis de decimis primitiis omnibusque aliis et singulis iuribus ex eisdem proprietatibus et terris prefatis provenientibus et olim predicte ecclesie Elboren debitis et solvi solitis expressa mentio facta fuisset decimasque primitias
et alia omnia et singula iura ex ipsis proprietatibus et terris provenientia et olim ut prefertur eidem ecclesie Elboren solvi solita ad ipsum Collegium spectare et pertinere illaque et non ipsi ecclesie integre persolvi debere Et nihilominus pro potiori
cautela decimas primitias aliaque omnia iura predicta ab ipsa mensa Elboren etiam de novo dismembramus et separamus illasque prefato Collegio ita quod liceat Rectori et Collegialibus illius illarum possessionem libere apprehendere et retinere seu iam
apprehensam continuare ac in illorum usus et utilitatem convertere Diocesani loci aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita similiter de novo etiam perpetuo auctoritate apostolica et tenore predictis applicamus et appropriamus Non obstantibus
omnibus illis que dictus predecessor in eisdem litteris voluit non obstare ceterisque contrariis quibuscunque Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis dismembrationis separationis applicationis et appropriationis infringere
vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno incarnationis dominice
Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Septimo Idus Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo

Ex

N. Cimm

S. Martignonus

Anl.

C. Cane

Vic. [illegible] Crianus

1570

Collegio da Companhia de JESUS, e Espirito Santo de Evora.
da uniaõ dos dizimos, e mais direitos das propriedades, que já lhe
estavaõ unidas, a saber, o Consselho de Monte Agrasso termo de Lisboa,
a da Moreira termo de Monte Mór o Novo, outra da Moreira ter-
mo de Monte Maior, e a do Bispo em Coruche, e a de Montes Claros
termo de Evora, e outras no termo de Elvas, que foraõ dezanexadas da
Meza Archiepiscopal de Evora, e unidas ao dito Collegio, e sua Univ.ª

Bulla do Papa Pio 5.º dada em Roma a 7. de Janeiro do anno da Encarnaçaõ de 1566., e do Nascimento de 1567. no 2.º anno do seu Pontificado, pela qual, á instancia do Snr̃ Cardeal Infante D. Henrrique, unio, e incorporou, ao Collegio, e Universidade da Companhia de Jesus do Espirito Santo de Evora, os dizimos, premissias, e mais direitos das propriedades, que já o Papa Pio 4.º lhe tinha unido, a saber, o Consselho de Monte Agrasso no termo de Lisboa, a da Moreira no termo de Monte Mór o Novo, a outra da Moreira no termo de Monte Maior, e huma chamada do Bispo com suas pertenças em Coruche, e a de Montes Claros no termo de Evora, e outras propriedades no termo de Elvas, que trazia Alvaro Pegado em ultima vida, todas as ditas propriedades tinhaõ sido dezanexadas da Meza Archiepiscopal de Evora, e por esta Bulla lhe foraõ tambem dezanexados os ditos dizimos, e unidos ao dito Collegio.

2.ª – Bulla pro Collegio societatis Jesu super decimis proprietatum et Bullae proprietatum

1566

De decimis proprietatum
q̃ saõ as 7 ...